

ARTIS COMPUTATORIAE

sum initium & fundamentum continet grammaticā, itā
& ea quæ arithmetice dicitur in omnium rerum (quæ
scientiæ atq; artis nomine celebrantur) naturas quam
latissime est fusa. Nam ut musicam omittam (quā aliud
nihil nisi numerorum effectiones, ad uocum progressio-
nes scansionesq; accommodatas esse constat) similiter
& geometriam & astrologiam, nonne uel plurima ex
numerorum qualitate ac moderatione, assumit etiam
ars oratoria in parte elocutionis? Sed & cuiq; saltem
primis (ut à Quintiliano scriptum est) literis erudito
necessaria est numerorum cognitio: & poëtica, quæ
rythmis ac certo temporum & syllabarū numero ora-
tionem astringit, omnino est in numeris. Sed & in ciuili
liū negotiorū (ut à Socrate apud Platonem recte dictū
est) quedam numerandi ratio non negligendam habet
utilitatem. Sed si ista leuiora sunt quæ posui, alia quæ-
dam est numerorum abstrusior cognitio, sine qua Pla-
to scribit in VII. de republica libro, animos hominum
ad rerum naturam penitus cognoscendam excitari non
posse, in qua numerorum parte, nonne doctissimi quique
Theologi super sacræ scripturæ libris studiosissime oc-
cupantur: quemadmodum Cyprianus in Euangelio se-
cundum Matthæum, Origenes etiam, Hieronymus,
Augustinus, quam plurimos sacræ scripturæ locos ab
immensis ac subtilibus numerorum proprietatibus, in-
geniosissime explicauerunt. Quamobrem si artes ut ne